

434

432

438

mulieres peregrinae, sociae nostrae, non introiverunt, sed cum
quiete et pace foris sedentes manserunt in sua devotione,
quibus aquam ministravimus (††). Et cum omnes simul extra
essemus, orationes praescriptas legimus, et indulgentias plena-
riae remissionis habuimus (††).

428

443

423

Descriptio fontis et aquarum Siloe.

483

Ex praedictis patet etiam loci illius aliqualis descriptio;
tamen illud notandum est, quod fluxus illius aquae perficit
insigne perpetui miraculi, ex eo, quod non jugiter fluit, sed
interpolatis diebus in hebdomade tribus (B) aut quatuor
diebus, aliquando pauciores emittit aquas, aliquando nullas
penitus, aliquando copiose ebulliunt aquae. Ego quandoque
vidi voraginem sicciam, quandoque paucis aquis fluentem, et
nonnumquam adeo repletam aquis, quod nemo poterat hiatum
intrare. Singularem enim oculum ad hoc habui, et saepe solus
mane ante solis ortum descendit ad videndum rem. Nam fluxus
ille inaequalis non ex natura, sed ex miraculo contigit tempore
Esaiæ prophetae. Ezechias enim rex Jerusalem cum audiret,
quod exercitus Assyriorum veniret ad obsidionem civitatis
sanctæ, obstruxit fontes et obturavit cisternas terra et lapi-
dibus per circuitum Jerusalem, ut inimici venientes aquam
nullam invenirent, et ita recedere cogerentur a siti, ut habetur
2. Paralipom. 32. Ante fontem autem Siloe fecit quasi stag-
num, in quo colligerentur aquæ, et civibus deservirent, qui
de civitate poterant ascendere, et aquas sursum portare pote-
rant, et hostes ad locum venire et aquam tollere [poterant].
Quapropter S. Esaias propheta oravit, et a Domino impetravit,
quod, quando populus de civitate descendit, sufficientes aquas
invenit. Quando autem inimici venerunt, siccabatur fons, et
nullas invenire poterant aquas. Et ideo in tanti miraculi
memoriam non semper, sed certis horis fluit. De hoc miraculo
loquitur Josephus, et Magister in Spec. Histor.

333

383

Ende

Anfang

Juxta hunc fontem sepultus fuit Jesaias propheta a populo,
dum eum Manasses rex occidit. Porro destructa civitate
Jerusalem per Nabuchodum regem et dum sub Nehemia
reaedificaretur, princeps pagi Maspha aedificavit portam fontis

27*